



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

De Sanctis Martyribus Stratonico, Macario, Abbano, Saturo, Possessore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

DE SANCTIS MARTYRIBUS

STRATONICO, MACARIO, ABBANO,
SATURO, POSSESSORE.

II JAN.

Martyrologium S. Hieronymi : Et in alio loco Stratonici, Maccari, Abbani, Saturi, Possessoris. An non hic fortassis est Macarius Abbas? Certe antiquissimum ms. monasterii Rhinowiensis ita habet : Antio-

chiæ Isidori Episcopi, Macarii Abbatis, Saturi, Possessoris, Firmi. Tertium etiam subijciemus Macarium ex Vicaria Prefectura Eremitam.

DE SS. MARTYRIBUS BRITANNIS

LICHFELDIAE IN ANGLIA.

CIRCITER
AN. CHR.
CCCIV.II JAN.
Lichfeldia a
cade Marty-
rum dicta.

Ejus insignia.

Lichfeldia civitas est Angliæ in Staffordiensi Comitatu perantiqua, a Beda Lichfeld appellata, quasi Cadaverum campus; quod plurimi isthic Christiani, sub Diocletiano, martyrio affecti sint. Qua de causa civitas pro insignibus scutum depictum gestat, in quo Martyres varii variis modis trucidati exhibentur, ut videre est in Theatro imperii magnæ Britanniæ Joannis Spedi l. 1, c. 33.

2 Horum Martyrum commemorationem II Januarii indicit Martyrologium Anglicanum, traditque S. Am-

phibali discipulos fuisse. De his Beda lib. 1, histor. Anglic. cap. 7, sub finem : Passi sunt ea tempestate Aaron et Julius (qui I Julii coluntur) Legionum urbis cives, alique utriusque sexus, diversis in locis plures, qui diversis cruciatibus torti, et inaudita membrorum discriptione lacerati, animas ad supernæ civitatis gaudia perfecto agone miserunt. De his pluribus agit Mattheus Westmonasteriensis ad ann. 303. Nicolaus Harpsfeldius 3 secul. cap. 10.

Multi isthic
occisi.

DE SANCTIS MARTYRIBUS

RUTILA, CLAUDIA, AURICA IN ÆTHIOPIA,

ITEMQUE VITALE ET STEPHANO HIEROSOLYMIS.

II JAN.

Martyrologium S. Hieronymi : Et in Æthiopia Rutilæ, Claudiæ, Aurigæ, Vitalis de Hierosolymis, Stephani. Usuardi editio Coloniensis ann. 1321. Hierosolymis Stephani et Vitalis. Item Tubiæ, Rutiliæ, Vitalis : sicque duos Vitales recenset, ceteri unicum. Antiquum ms. Martyrologium monasterii S. Martini Treviris : Et in Hierosolymis SS. Stephani et Vitalis, ac ne quis suspicetur

de Octava S. Stephani Protomartyris esse sermonem, de ea separatim agit. ms. S. Lamberti Leodii, cui Beda præfixum nomen : Hierosolyma Stephani et Vitalis. ms. S. Mariæ Ultrajecti : Hierosolymis SS. Stephani et Vitalis. Idem hic est fortassis qui I Januar. refertur in eodem S. Hieronymi Martyrologio his verbis : In Oriente Stephani. Idem habet ms. item vetustissimum Rhinowienne, eodem die.

DE SANCTIS MARTYRIBUS

ARGÆO, NARCISSO, MARCELLINO

TOMIS IN PONTO.

SUB LICINIO.
II JAN.S. Marcellinus
quia noluit
militare con-
tra Ecclesiam
occisus, Mar-
tyr habetur.

Quod impia tyranni contra Ecclesiam et legitimum Principem signa sequi nollet Marcellinus, ab eodem trucidatus cum fratribus est : omnesque in album Martyrum ab Ecclesia sunt relati. Horum Acta desiderantur : de causa mortis ista habent vetera Martyrologia. Usuardus : In Ponto, civitate

Tomis, trium fratrum Argæi, Narcissi, et Marcellini pueri, qui sub Licinio Principe inter tyrones comprehensus, cum nollet militare cæsus ad mortem, et diu in carcere maceratus, atque in mare mersus, martyrium consummavit. Eundem habet Bellinus; addit Martyrologium Romanum : Fratres vero ejus gladio perempti

Quæ passus
sit.